



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 13. Periculum Romani, S. Sedis Legati, Parisiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

Sæcul. XIII.
A. C. 1225.

§. XIII.

*Periculum Romani, S. Sedis Legati,
Parisiis.*

M. S. Turon.
ap. Duboul.
to 3. p. 118.
Es to. 11.
Cons. p. 202.

Eodem anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto Canonici Parisienses apud Legatum S. Sedis, Romanum, Cardinalem S. Angeli, queruntur, quod Scholastici proprium annulum sibi signari curassent, quem omnibus Actis, ad negotia suæ Universitatis spectantibus, imprimerent, abjecto jure Ecclesiæ Parisiensis, cujus Sigillum antea illis Actis auctoritatem præstitisset. Multis argumentis hinc & illinc in medium adductis, Scholastici Legatum causæ suæ arbitrum constituunt, traduntque Sigillum. Ille, ne uno quidem momento, quid acturus esset, deliberans, fracto coram omnibus Sigillo, excommunicationis sententiam protulit, in omnes illos, qui Parisiis Sigillum novum in usum Universitatis construerent. Scholastici haud tacite indignari, tum, rei hujus rumore in urbem sparso, undique ad Legati aedes armati concurrere. Familiares Legati fores claudere, & ipsi arma capere. At Scholastici militari impetu saepius assiliunt, fores perfringunt, saxorum grandine obsistentes sternunt, jamque nihil propius erat, quam ut tam ministros,

stros, quam ipsum Legatum in suam potestatem redigerent, cum Rex Ludovicus, Meloduno rediens, comperto, quanto Praesul premeretur periculo, Equestres viros misit, peditesque, qui Scholasticis tum minarum strepitu, tum armorum vi depulsis, S. Sedis Legatum, suosque, non tamen sine effuso sanguine, liberarunt. Ipse Parisiis militum praesidio cinctus excessit, postquam in Scholasticos sibi rebelles, ceterosque omnes seditionis socios excommunicationis fulmen intorfisset.

Sæcul. XIII.
A.C. 1225.

§. XIV.

Bulla in praesidium Cardinalium edita.

Hæc ipsa fortassis violentia, qua Romanus Cardinalis læsus est, Honorium Papam movit, ut eodem anno Constitutionem admodum rigidam in praesidium Cardinalium ederet. *Si quis, inquit Papa, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuerit hostiliter insēcutus, vel percusserit, aut ceperit, persequentis socius, aut quacunque demum ratione facinoris particeps fuerit, talis, sicut reus criminis læsæ Majestatis, perpetuo sit infamis, proscriptus, hostibus Reipublicæ accensus, potestate condendi testamentum privatus, & indignus, qui ad alterius*

Rain. n. 50.

Yy 3 bare-